

## IOANNIS CARMEN AD DANTEM

El\_1 v.1 Pieridum vox alma, novis qui cantibus orbem  
 2 mulces letifluum, vitali tollere ramo  
 3 dum cupis, evolvens triplicis confinia sortis  
 4 indita pro meritis animarum, sontibus Orcum,  
 5 astripetis Lethen, epiphoebia regna beatis,  
 6 tanta quid heu semper jactabis seria vulgo,  
 7 et nos pallentes nihil ex te vate legemus ?  
 8 Ante quidem cithara pandum delphina movebit  
 9 Davus et ambiguae Sphingos problemata solvet,  
 10 Tartareum praeceps quam gens idiota figuret  
 11 et secreta poli vix exsphaerata Platoni ;  
 12 quae tamen in triviis numquam digesta coaxat  
 13 Comicomus nebulo qui Flaccum pelleret orbe.  
 14 Non loquor his, immo studio callentibus, inquis.  
 15 Carmine sed laico : clerus vulgaria temnit,  
 16 et si non varient, cum sint idiomata mille.  
 17 Praeterea nullus, quos inter es agmine sextus,  
 18 nec quem consequeris caelo, sermone forensi  
 19 descripsit. Quare, censor liberrime vatum,  
 20 fabor, si fandi paulum concedis habenas.  
 21 Nec margaritas profliga prodigus apris  
 22 nec preme Castalias indigna veste sorores ;  
 23 At, precor, ora cie quae te distinguere possint  
 24 carmine vatisono, sorti communis utrique.  
 25 Et jam multa tuis lucem narratibus orant.  
 26 Dic age quo petiit Jovis armiger astra volatu,  
 27 dic age quos flores, quae lilia fregit arator,  
 28 dic Phrygios damas laceratos dente molosso,  
 29 dic Ligurum montes et classes Parthenopeas  
 30 carmine quo possis Alcidae tangere Gades  
 31 et quo te refluus relegens mirabitur Hister,  
 32 et Pharos et quondam regnum te noscet Elissae.  
 33 Si te fama juvat, parvo te limite saeptum  
 34 non contentus eris nec vulgo iudice tolli.  
 35 En ego jam primus, si dignum duxeris esse,  
 36 clericus Aonidum, vocalis verna Maronis,  
 37 promere gymnasiis te delectabor ovantum  
 38 inclita Peneis redolentem tempora sertis,  
 39 ut praevectus equo sibi plaudit praeco sonorus  
 40 festa trophaea ducis populo praetendere laeto.  
 41 Jam mihi bellisonis horrent clangoribus aures ;

42 quid pater Appenninus hiat ? Quid concitat aequor  
 43 Tyrrhenum Nereus ? Quid Mars infrendet utroque ?  
 44 Tange chelyn, tantos hominum compesce labores.  
 45 Ni canis haec alios a te pendendo poeta  
 46 omnibus ut solus dicas, indicta manebunt.  
 47 Si tamen Eridani mihi spem mediamne dedisti  
 48 quod visare notis me dignareris amicis,  
 49 nec piget enerves numeros legisse priorem  
 50 quos strepit arguto temerarius anser olori,  
 51 respondere velis aut solvere vota, magister.

DANTES ALAGHERII IOHANNI DE VIRGILIO

E1\_2 v.1 Vidimus in nigris albo patiente lituris  
 2 Pierio demulsa sinu modulamina nobis.  
 3 Forte recensentes pastas de more capellas  
 4 tunc ego sub quercu meus et Meliboeus eramus.  
 5 Ille quidem, cupiebat enim consciscere cantum,  
 6 "Tityre ; quid Mopsus, quid vult ? Edissere" dixit.  
 7 Ridebam, Mopse ; magis et magis ille premebat.  
 8 Victus amore sui, posito vix denique risu,  
 9 "Stulte, quid insanis ? " Inquam : "tua cura capellae  
 10 te potius poscunt, quamquam mala cenula turbet.  
 11 Pascua sunt ignota tibi, quae Maenalus alto  
 12 vertice declivi celator solis inumbrat,  
 13 herbarum vario florumque impicta colore.  
 14 Circuit haec humilis et tectus fronde saligna  
 15 perpetuis undis a summo margine ripas  
 16 rorans alveolus, qui, quas mons desuper edit,  
 17 sponte viam, qua mitis erat, se fecit aquarum.  
 18 Mopsus in his, dum lenta boves per gramina ludunt,  
 19 contemplatur ovans hominum : superumque labores :  
 20 inde per inflatos calamos interna recludit  
 21 gaudia sic ut dulce melos armenta sequantur,  
 22 placatique ruant campis de monte leones,  
 23 et refluant undae, frondes et Maenala nutent."  
 24 "Tityre," tunc "si Mopsus", ait, "decantat in herbis  
 25 ignotis, ignota tamen sua carmina possum,  
 26 Te monstrante meis vagulis prodiscere capris".  
 27 Hic ego quid poteram, cum sic instaret anhelus ?  
 28 "Montibus Aoniis Mopsus, Meliboeae, quot annis,  
 29 dum satagunt alii causarum jura doceri,  
 30 se dedit et sacri nemoris perpalluit umbra.  
 31 Vaticis prolutus aquis, et lacte canoro  
 32 viscera plena ferens et plenus ad usque palatum,  
 33 Me vocat ad frondes versa Peneide cretas."  
 34 "Quid facies ? " Melibeus ait : "Tu tempora lauro  
 35 semper inornata per pascua pastor habebis ? "  
 36 "O Meliboeae, decus, vatium quoque nomen in auras  
 37 fluxit, et insomnem vix Mopsus Musa peregit",  
 38 rettuleram, cum sic dedit indignatio vocem :  
 39 "Quantos balatus colles et prata sonabunt,  
 40 si viridante coma fidibus paeana ciebo !  
 41 Sed timeam saltus et rura ignara deorum.

42 Nonne triumphales melius pexare capillos  
 43 et patrio, redeam si quando, abscondere canos  
 44 fronde sub inserta solitum flavescere Sarno ? "  
 45 Ille : "Quis hoc dubitet ? Propter quod respice tempus,  
 46 Tityre, quam velox ; nam jam senuere capellae,  
 47 quas concepturis dedimus nos matribus hircos".  
 48 Tunc ego : "Cum mundi circumflua corpora cantu  
 49 astricolaeque meo, velut infera regna, patebunt,  
 50 devincire caput hedera lauroque juvabit.  
 51 Concedat Mopsus". "Mopsus" tunc ille "quid ? " Inquit.  
 52 "Comica nonne vides ipsum reprehendere verba,  
 53 tum quia femineo resonant attrita labello,  
 54 tum quia Castalias pudet acceptare sorores ? "  
 55 Ipse ego respondi, versus iterumque relegi,  
 56 Mopse, tuos. Tunc ille umeros contraxit et "Ergo  
 57 quid faciemus" ait "Mopsum revocare volentes ? "  
 58 "Est mecum quam noscis ovis gratissima" dixi,  
 59 "ubera vix quae ferre potest, tam lactis abundans ;  
 60 rupe sub ingenti carptas modo ruminat herbas ;  
 61 nulli juncta gregi nullis assuetaque caulis ;  
 62 sponte venire solet, numquam vi poscere mulctram.  
 63 Hanc ego praestolor manibus mulgere paratis,  
 64 hac implebo decem missurus vascula Mopso.  
 65 Tu tamen interdum capros meditere petulcos  
 66 et duris crustis discas infigere dentes."  
 67 Talia sub quercu Meliboeus et ipse canebam,  
 68 parva tabernacula nobis dum farra coquebant.

-----

#### IOANNIS ECLOGA RESPONSIVA AD DANTEM

E2\_1 v.1 Forte sub irriguos colles, ubi Sarpina Rheno  
 2 obvia fit, viridi niveos interlita crines  
 3 nympha procax, fueram nativo conditus antro.  
 4 Frondentes ripas tondebant sponte juvenci,  
 5 mollia carpebant agnae, dumosa capellae.  
 6 Quid facerem ? Nam solus eram puer incola silvae ;  
 7 irruerant alii causis adigentibus urbem,  
 8 nec tum Nisa mihi nec respondebat Alexis,  
 9 suetus uterque comes. Calamos moderabar hydraulas  
 10 falce recurvella, cunctae solamina, quando  
 11 litoris Adriaci resonantem Tityron umbra,  
 12 qua densae longo praetexunt ordine pinus  
 13 pascua porrectae caelo genioque locali,  
 14 alida myrtetis et humi florentibus herbis,  
 15 quaque nec arentes Aries fluvialis arenas  
 16 esse sinit, molli dum postulat aequora villo,  
 17 rettulit ipse mihi flantis leve sibilus Euri,  
 18 quo vocalis odor per Maenala celsa profusus  
 19 balsamat auditus et lac distillat in ora,

20 quale nec a longo meminerunt tempore mulsum  
 21 custodes gregium, quamquam tamen Arcades omnes.  
 22 Arcades exsultant audito carmine Nymphae  
 23 pastoresque, boves et oves hirtaeque capellae  
 24 arrectisque onagri decursant auribus ipsi :  
 25 ipsi etiam Fauni saliunt de colle Lycaeï.  
 26 Et mecum : "Si cantat oves et Tityrus hircos  
 27 aut armenta trahit, quianam civile canebas  
 28 urbe sedens carmen, quando hoc Benacia quondam  
 29 pastorale sonans detrivit fistula labrum ?  
 30 Audiatur in silvis et te cantare bubulcum",  
 31 nec mora, depostis calamis majoribus inter  
 32 arripio tenues et labris flantibus hisco.  
 33 Sic, divine senex, ah sic eris alter ab illo :  
 34 alter es, aut idem, Samio si credere vati  
 35 sic liceat Mopso, sicut liceat Meliboeo.  
 36 Eheu ! Pulvereo quod stes in tegmine scabro  
 37 et merito indignans singultes pascua Sarni  
 38 rapta tuis gregibus, ingratae dedecus urbi,  
 39 humectare genas lacrimarum flumine Mopso  
 40 parce tuo nec te crucia crudelis et illum,  
 41 cujus amor tantum, tantum complectitur, inquam,  
 42 jam te, blande senex, quanto circumligat ulmum  
 43 proceram vitis per centum vincula nexu.  
 44 O si quando sacros iterum flavescere canos  
 45 fonte tuo videas et ab ipsa Phyllide pexos,  
 46 quam visando tuas tegetes miraberis uvas !  
 47 Ast intermedium pariat ne taedia tempus  
 48 laetitiae, spectare potes quibus otior antris  
 49 et mecum pausare : simul cantabimus ambo,  
 50 ipse levi calamo sed tu gravitate magistrum  
 51 firmius insinuans, ne quem sua deserat aetas.  
 52 Ut venias, locus ipse vocat. Fons umidus intus  
 53 antra rigat, quae saxa tegunt, virgulta flabellant ;  
 54 circiter origanum redolet, quoque causa soporis  
 55 herba papaveris est, oblivia, qualiter aiunt,  
 56 grata creans. Serpylla tibi substernet Alexis,  
 57 quem Corydon vocet ipse rogem : tibi Nisa lavabit  
 58 ipsa pedes accincta libens cenamque parabit ;  
 59 Testilis haec inter piperino pulvere fungos  
 60 condiet, et permixta doment multa allia, siquos  
 61 forsitan inprudens Meliboeus legerit hortis.  
 62 Ut comedas apium memorabunt mella susurri.  
 63 Poma leges Nisaeque genas aequantia mandes  
 64 pluraque servabis nimio defensa decore.  
 65 Jamque superserpunt hederæ radicibus antrum,  
 66serta parata tibi. Nulla est cessura voluptas.  
 67 Huc ades ; huc venient, qui te pervisere gliscent,  
 68 Parrhasii juvenesque senesque, et carmina laeti  
 69 qui nova mirari cupiantque antiqua doceri.  
 70 Hi tibi silvestres capreas, hi tergora lyncum  
 71 orbiculata ferent, tuus ut Meliboeus amabat.  
 72 Huc ades, et nostros timeas ne, Tityre, saltus,  
 73 namque fidem celsae concusso vertice pinus  
 74 glandiferaeque etiam quercusque arbusta dedere :  
 75 non hic insidiae, non hic injuria, quantas

76 esse putas. Non ipse mihi te fidis amanti ?  
 77 Sunt forsan mea regna tibi despecta ? Sed ipsi  
 78 di non erubuere cavis habitare sub antris ;  
 79 testis Achilleus Chiron et pastor Apollo.  
 80 Mopse, quid es demens ? Quia non permittet Iollas  
 81 comis et urbanus, dum sunt tua rustica dona,  
 82 hisque tabernaclis non est modo tutius antrum,  
 83 quis potius ludat. Sed te quis mentis anhelum  
 84 ardor agit vel quae pedibus nova nata cupido ?  
 85 Miratur puerum virgo, puer ipse volucrem,  
 86 et volucris silvas et silvae flamina verna ;  
 87 Tityre, te Mopsus : miratio gignit amorem.  
 88 Me contemne ; sitim Phrygio Musone levabo,  
 89 scilicet, hoc nescis, fluvio potabor avito.  
 90 Quid tamen interea mugit mea bucula circum ?  
 91 Quadriflumne gravat coxis umentibus uber ?  
 92 Sic reor : en propero situlas implere capaces  
 93 lacte novo, quo dura queant mollescere crusta.  
 94 Ad mulcitrale veni, si tot mandabimus illi  
 95 vascula, quot nobis promisit Tityrus ipse.  
 96 Sed lac pastori fors est mandare superbum.  
 97 Dum loquor, en comites, et sol de monte rotabat.

DANTES ALAGHERII IOHANNI DE VIRGILIO

E2\_2 v.1 Velleribus Colchis praepes detectus Eous  
 2 alipedesque alii pulchrum Titana ferebant.  
 3 Orbita, qua primum flecti de culmine coepit,  
 4 currigerum canthum libratim quemque tenebat ;  
 5 resque refulgentes, solitae superarier umbris,  
 6 vincebant umbras et fervere rura sinebant.  
 7 Tityrus hoc propter confugit et Alphisiboeus  
 8 ad silvam pecudumque suique misertus uterque,  
 9 fraxineam silvam tiliis platanisque frequentem.  
 10 Et dum silvestri pecudes mixtaeque capellae  
 11 insidunt herbae, dum naribus aera captant,  
 12 Tityrus hic, annosus enim, defensus acerna  
 13 fronde soporifero gravis incumbibat odori,  
 14 nodosoque piri vulso de stirpe bacillo  
 15 stabat subnixus, ut diceret, Alphisiboeus.  
 16 "Quod mentes hominum" fabatur "ad astra ferantur,  
 17 unde fuere, novae cum corpora nostra subirent,  
 18 quod libeat niveis avibus resonare Caystrum  
 19 temperie caeli laetis et valle palustri,  
 20 quod pisces coeant pelagi pelagusque relinquunt,  
 21 flumina qua primum Nerei confinia tangunt,  
 22 Caucason Hyrcanae maculent quod sanguine tigres  
 23 et Libyes coluber quod squama verrat arenas,  
 24 non miror, nam cuique placent conformia vitae,  
 25 Tityre ; sed Mopso miror, mirantur et omnes  
 26 pastores alii mecum Sicula arva tenentes,  
 27 arida Cyclopum placeant quod saxa sub Aetna."  
 28 Dixerat, et calidus et gutture tardus anhelus

29 jam Meliboeus adest et vix "En, Tityre," dixit.  
 30 Inrisere senes juvenilia guttura, quantum  
 31 Sergestum e scopulo vulsum risere Sicani.  
 32 Tum senior viridi canum de caespite crinem  
 33 sustulit et patulis efflanti naribus infit :  
 34 "O nimium juvenis, quae te nova causa coegit  
 35 pectoreos cursu rapido sic angere folles ? "  
 36 Ille nihil contra, sed, quam tunc ipse tenebat,  
 37 cannea cum tremulis conjuncta est fistula labris,  
 38 sibilus hinc simplex avidas non venit ad aures,  
 39 verum, ut arundinea puer is pro voce laborat,  
 40 (mira loquar sed vera tamen) spiravit arundo :  
 41 forte sub inriguos colles ubi Sarpina Rheno ;  
 42 et, tria si flasset ultra spiramina flata,  
 43 centum carminibus tacitos mulcebat agrestes.  
 44 Tityrus et secum conceperat Alphesiboeus ;  
 45 Tityron et voces compellant Alphesiboei :  
 46 "Sic, venerande senex, tu roscida rura Pelori  
 47 deserere auderes, antrum Cyclopi iturus ? "  
 48 Ille : "Quid hoc dubitas ? Quid me, carissime, tentas ? "  
 49 "Quid dubito ? Quid tento ? " Refert tunc Alphesiboeus ;  
 50 "Tibia non sentis quod fit virtute canora  
 51 numinis et similis natis de murmure cannis,  
 52 murmure pandenti turpissima tempora regis  
 53 qui jussu Bromii Pactolida tinxit arenam ?  
 54 Quod vocet ad litus Aetnaeo pumice tectum,  
 55 fortunate senex, falso ne crede favori,  
 56 et Dryadum miserere loci pecorumque tuorum.  
 57 Te juga, te saltus nostri, te flumina flebunt  
 58 absentem et Nymphae mecum pejora timentes,  
 59 et cadet invidia quam nunc habet ipse Pachynus ;  
 60 nos quoque pastores te cognovisse pigebit.  
 61 Fortunate senex, fontes et pabula nota  
 62 desertare tuo vivaci nomine nolis."  
 63 "O plus quam media merito pars pectoris hujus"  
 64 (atque suum tetigit) longaevus Tityrus inquit,  
 65 "Mopsus amore pari mecum conexus ob illas  
 66 quae male gliscentem timide fugere Pyreneum,  
 67 litora dextra Pado ratus a Rubicone sinistra  
 68 me colere, Aemilida qua terminat Adria terram,  
 69 litoris Aetnaei commendat pascua nobis,  
 70 nescius in tenera quod nos duo degimus herba  
 71 Trinacride montis, quo non fecundius alter  
 72 montibus in Siculis pecudes armentaque pavit.  
 73 Sed quamquam viridi sint postponenda Pelori  
 74 ethnica saxa solo, Mopsum visurus adirem  
 75 hic grege dimisso, ni te, Polypheme, timerem".  
 76 "Quis Poliphemon" ait "non horreat" Alphesiboeus  
 77 "assuetum rictus humano sanguine tingui,  
 78 tempore jam ex illo quando Galathea relictus  
 79 Acidis heu miseri discernere viscera vidit ?  
 80 Vix illa evasit : an vis valuisset amoris,  
 81 effera dum rabies tanta perferbuit ira ?  
 82 Quid, quod Achaemenides sociorum caede cruentum  
 83 tantum prospiciens, animam vix claudere quivit ?  
 84 Ah, mea vita, precor, numquam tam dira voluptas

85 te premat, ut Rhenus et Naias illa recludat  
86 hoc illustre caput, cui jam frondator in alta  
87 virgine perpetuas festinat cernere frondes".  
88 Tityrus arridens et tota mente secundus  
89 verba gregis magni tacitus concepit alumni.  
90 Sed quia tam proni scindebant aethra jugales,  
91 ut rem quamque sua jam multum vinceret umbra,  
92 virgiferi silvis gelida cum valle relictis,  
93 post pecudes rediere suas, hirtaeque capellae  
94 inde velut reduces ad mollia prata praeibant.  
95 Callidus interea juxta latitavit Iollas,  
96 omnia qui didicit, qui rettulit omnia nobis :  
97 ille quidem nobis et nos tibi, Mopse, poimus.